



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

Praefatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)



PRAEFATIO.

Ælian.
lib. 14. va-
riar. c. 13.



*S*epè multumq³ suis tragœdijs anti-
theta inferebat Agathon. Ea cum
quidam velut emendaturus ex dra-
matis ipsius tollere vellet: Tu verò, vir magne,
inquiēbat, non animaduertis, sic delere te in
Agathone Agathonem? Adeò his delectabatur,
ut ea suam tragœdiam efficere putaret. Censuit
diuina sapientia idem sibi faciendum, cum
mundum hunc conderet, susciperetque gu-
bernandum. Nam siue naturam consideres,
siue mores inspicias, nihil ferè inuenies, ni-
si *antitheta*. Opponitur enim frigus calori,
& calor frigori, siccitas humiditati, & hu-
miditas siccitati: quæque his prædita sunt
elementa, inter sese pugnant, extinguit
enim ignē aqua, & aquam ignis dissoluit in
vaporem. Perpetua est vbiq^{ue} varietas &
vicissitudo. Iam feruet æstas, jam riget hi-
ems, aliàs ver floribus ornatum effert ca-
put; aliàs Autumnus triumphat fructuum
vberrate. Nox & dies, lux & tenebrę semper
alternant vices. Nec ipsum cælum sibi sem-
per constat, nunc enim serenum est, nunc
nubilum; nunc luce terras, nunc imbre per-
fundit. *Hac antitheta* qui è mundo tollit,
mur-

PRÆFATIO.

mundum ipsum tollit, & diuinæ gubernationis sapientiæ manus iniicit violentas.

Idem videre est in moribus & casibus humanis. Enimuerò, ait S. Chrysoftomus, misericors Deus mœstis rebus quadam etiam jucunda permiscuit. Quod certè in sanctis omnibus facit, quos neque tribulationes, neque iucunditates sinit habere continuas: sed tum de aduersis, tum ex prosperis vitam justorum quasi admirabili varietate contexit. Quod hinc quoque eum fecisse considera. Videndo quippe S. Ioseph gravidam Sponsam, in conturbationem incidit maximam: sed adfuit repente Angelus, timorem prorsus extinguens. Deinde videns Puerum natum, maximâ exultatione repletus est, sed rursus huic etiam gaudio periculũ grande successit, cum tota utique ciuitas turbaretur, ipse rex fureret, & ad necem puerum quereret. Sed & hunc mœrorem alia rursus latitia subsequuta est, apparitio videlicet stella & adoratio magorum. Post hanc quoque iucunditatem iterum periculum, iterumque formido. Quarit, inquit, Herodes animam Pueri, & fugere necesse est, & in longinquum transire. Hęc Antitheta Iosephus, hæc Dei Mater, hæc ipse Christus habuit, quæ si quis deleret, in Iosepho Iosephum, in Maria Mariam, Christum

S. Chry-
solt. hom.
8. in Mat.

PRÆFATIO.

stum in Christo deleret: quem non minùs
mons Oliueti, quàm Thabor; ignominio-
sa crucifixio, quàm gloriosa resurrectio cla-
rificauit. Et in fabulis Vlyfsem, Æneam,
ipsum denique Herculem, non tantùm vi-
ctoriæ, sed etiam pugnæ ac proelia illustra-
uerunt. Sæpiusq; nominantur Herculei la-
bores, quàm Herculeæ voluptates. D. Gre-
gorium certè Nazianzenum, illū adhuc ju-
uenem Athenis abeuntem, etsi alioqui ca-
stum atque sapientem, tamen longè fecit
celebriorem fortuna triftis; quàm iucunda.
Nam sæuiffimâ tempeftate maris iactatus,
se vouit Deo feruiturum. O quàm multi ad
calum non currerent, nifi in terris iacta-
rentur!

Gregor.
Presbyt.
in vita S.
Greg.

Sunt igitur non tantùm in mundo *anti-
theta*, sed etiam profunt. Alij summo loco
nati, natalibus fuis digna faciunt. Alij ter-
ræ filij emergunt, & obscuro fanguini cla-
rum nomen pariunt. Quofdam diuitiæ ex-
tollunt; quofdam inopia reddit induftrios.
Quin plerumq; vel ipfa fames alioqui male-
fuada, ad Deum citiùs mortales adduxit,
quàm faturitas. Difficulter funt fine Vene-
re, qui colunt Cererem & Bacchum. Rarò
à Numine petunt *panem quotidianum*, qui
incunt

PRÆFATIO.

ineunt conuiuia quotidiana. Vt ergo falco,
 ex alto aëre, redit ad manum aucupis, escam
 ostentantis; ita homo, cui alimenta defunt,
 currit ad Deum, sicut prodigus ille dicens:
Quanti mercenarij in domo patris mei abun-
dant panibus, ego autem hîc fame pereo! Sur-
gam & ibo ad patrem meum. Fames igitur,
 orta in regione illa eum ad patrem reduxit,
 quem abundantia, in petulantiam luxu-
 rians, allexerat, vt in regiones longinquas
 proficisceretur. Quod ergo vel diuitiarum,
 vel escarum defectus in decantatissima illa
 Ruth effecit, vt benignissimo Booz con-
 ciliaretur; id etiam sæpe præstat defectus
 honoris, juxta illud: *Imple facies eorum ig-*
nominia, & quærent nomen tuum, Domine.
 Quamobrem etiam *Honor & Ignominia;*
Decus, & Dedecus; Fama & Infamia; Glo-
ria & Humilitas, sunt inter ea *antitheta,* quæ
 hunc Mundum & iuant, & ornant. Quod
 vt de honore facile est credere, ita pauci in-
 telligunt, quomodo *ignominia* atque humi-
 litati conueniat. Qui mihi proinde in hac
 parte sunt instruendi. In qua quatuor cona-
 bor præstare. Primum est, honorem meritis
 rectè à Deo conferri; alterum, iisdem etiam
 non iniustè ab eodè auferri: tertium quos-
 dam

Luc. 15. 17.

Psal. 82.

17.

PRÆFATIO.

dam ignominiâ dignos jure ignominiâ no-
tari, ac proinde conqueri non posse; quar-
tò, alios honore dignos ipsam ignominiam
omnibus honoribus anteferre; qui exem-
plo suo refutent illud Satyrici:

Perf. sa-
tyr. 1.

An erit, qui velle recuset

Os populi meruisse?

S. August.
tract. 55.
in c. 13. 10.

Io. 6. 15.

Io. 13. 15.

S. Ambr.
serm. 10.
in Pl. 118.

Refutavit autem ipse Christus luculentè.
Tanta est quippe humana humilitatis utilitas,
ait S. Augustinus, *ut eam suo commendaret*
exemplo etiam divina sublimitas. Iesus ergo cum
cognouisset, quia venturi essent, ut raperent eum,
& facerent eum regem, fugit iterum in mon-
tem ipse solus. Neque tunc tantum fugit, sed
à prima etate etiam, in stabulo pecoris, non
in palatio principis, nascens; vilissima quæ-
que exercens; non cum satrapis, sed inter
piscatores versans, & moriturus deniq; lin-
teo se præcingens, missaq; in peluim aqua,
pedes discipulorum, & inter eos Iudæ quoq;
proditoris abluens. Quam virtutem ut di-
scipulos suos doceret, illam facto suo co-
ronidem adiecit: *Exemplum dedi vobis, ut*
quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. S.
Ambrosij verba accipe: *In Evangelio, Domi-*
nus Iesus docens virtutem atque insigne patien-
tia, ait: Qui te percusserit in maxillâ, prabe ei

&

PRÆFATIO.

*Alteram. Vult enim discipulos suos & iniurias
 rum esse patientes, nec referre facile, ne dum
 referre potens iniuriam faceret, iudicium hu-
 militatis non exhiberet. Patientia enim humi-
 litatis indicium est. Itaq; duo docuit cælestis
 Magister, & abiecta amare, si contumeliam
 patiaris; & gloriosa non quærere, si rem-
 præclarè geras. Primum David quoq; fecit,
 alterum multi alij. De Davide S. Gregorius:
 Ecce quem Dominus cunctis singulariter præ-
 sulit, sese sub Domino, & exaquando minimis,
 & abiecta exhibendo contemnit. Non potestas
 regni ad memoriam reducitur, non subiectorum
 oculis saltando vilescere metuit, non se honore
 prælatum ceteris, ante eius arcam, qui honorem
 dederat, recognoscit. Coram Deo egit vilia, vel
 extrema, ut illa ex humilitate solidaret, qua co-
 ram hominibus egerat fortia. Quid de eius fa-
 ctis ab alijs sentiatur, ignoro: ego David plus sal-
 tantem stupeo, quam pignantem: pugnando
 quippe hostes subdidit, saltando coram Domino
 semetipsum vicit. Hoc de primo.*

S. Gregorius
 lib. 17.
 Morale

Alterum in pluribus demonstrat Chry-
 sostomus in hunc modum. *Nolimus extolli,
 sed nos dicamus inutiles, ut utiles efficiamur.*
*Nam si te quidem dixeris probabilem, licet pro-
 babilis existas, inutilis factus es; si verò te no-*
 minant

S. Chryl.
 hom. 8.
 Luc. 17.
 16.

minant

PRÆFATIO.

minaueris inutilem, factus es utilis, licet sis improbandus; propterea meritorum obliuisci necessarium est. Et infra: Nam & nos seruos habentes, maximè tunc eos acceptos habemus, cum postquam omnia beneuolè ministrarint, nihil magnum fecisse se censent. Itaque si tu quoque magna vis reddere merita tua, ea ne magna esse

Matth 8. *putes, & magna tunc erunt. Sic & Centurio dicebat: Non sum dignus, ut intres sub tectum meum: & propterea dignus factus est, & admirationi super omnes Iudeos habitus. Sic & Paulus dicens: Non sum dignus vocari Apostolus, est propter hoc omnium primus factus. Itidem*

1. Cor. 15. *& Ioannes: Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius, & ideò amicus quoque fuit sponsi. Et manum, quam dixit esse calceamento indignam, hanc super caput suum Christus attraxit. Sic & Petrus dicebat: Exi à me, quia peccator sum, Domine, & idcirco factus est Ecclesia fundamentum. Nihil enim Deo tam gratum, quàm cum extremis peccatoribus semetipsum connumerare. Hoc est totius sapientiæ principium; quod discere, difficile, sed utile ac necessarium est; multòque honestius, quàm strumam dibapho tegere; aut asinum vestire pelle leonina.*

HONOR